Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Frisia Orientalis

Florianus, Johannes

[Antwerpen], [nach 1603]

urn:nbn:de:gbv:45:1-178902

Visual Library

Ostfriesland

Ortelius um 1580

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres Inches Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Landesbibliothek Oldenburg

FRISIA
ORIENTALIS.

FRISIOS olim hunc tractum non inhabitaſſe, ſed Cauchos, in confeſſo eſt. Horum meminit præter Strabonem, Dionem, Suetonium, Paterculum, Æl. Spartianum, Ptolemæus: qui eos in Maiores & Minores diſtinguit, vt quoq. Plinius. Maiores Ptolemæus inter Viſurgim & Albim collocat: Minores inter Amaſium & Viſurgim; vbi hodie hi Friſij, quos Orientalis vocamus, habitant. De Cauchis hæc Plinius libro decimo ſexto, capite primo: Sunt verò in Septemtrione viſæ nobis Cauchorum, qui Maiores Minoreſque appellantur. Vaſto ibi meatu bis dierum noctiumq́ue ſingularum interuallis effuſiùs in immenſum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controuerſiam: dubiumq́ue terræ ſit, an in parte maris. Illic miſera gens tumolos obtinet altos, aut tribunalia ſtructa manibus ad experimenta altiſsimi æſtus, caſis ita impoſitis: nauigantibus ſimiles, cùm integant aquæ circumdatæ: naufragis verò, cùm receſſerint: fugienteſque cùm mari piſces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, vt finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni procul abacto frutice. Vlua & paluſtri iunco funes nectunt ad prætexenda piſcibus retia: captumq́ue manibus lutum ventis magis quàm ſole ſiccantes, terra cibos, & rigentia Septemtrione viſcera ſua vrunt. Potus iis non niſi ex imbre ſeruato ſcrobibus in veſtibulo domus. Et hæ gentes, ſi vincantur hodie à populo Romano, ſeruire ſe dicunt. Ita eſt profectò, multis fortuna parcit in pœnam. Hæc de his Plinius; qui eos libertatem, Romanorum tyrannidi præferre admiratur. aut inuidet potiùs. Non enim vſque adeò mirandum videtur, liberam gentem ante omnia libertatem ſuam tueri: quam ita præclaram dicit is, Plini, quem tu ipſe extra omnem ingenij aleam poſitum prædicas, vt ne mortem quidem in ea repetenda fugiendam ſuadeat; eamq́ue non ſolùm ab hominibus, verùm etiam à beſtiis expeti, atque omnibus rebus anteponi meritò perhibet.

Hæc regio quondam in multas Satrapias fuit diuiſa; quæ ſingulæ à ſingulis Principibus adminiſtrabantur, ad Frederici III. Imperatoris tempora vſque; qui quendam nomine Vlrichum toti huic regioni præfecit, eumq́ue Comitis titulo inſigniuit, anno nempe poſt Virginis partum milleſimo quadringenteſimo & ſexageſimo quinto.

Solum huius tractus rerum neceſſariarum adeò diues eſt, vt vicinarum regionum ope minùs indigere videatur. imò multis vſque adeò abundat, vt equis, bobus, pecoribus, carnibus porcinis, lanis, butyro, caſeo, hordeo, auena, frumẽto, fabis & piſis, item ſale, vt eorum quotannis magnam copiam cum aliis longè diſtantibus locis communicent. Duas tantùm habet hic Comitatus vrbes muro cinctas, quæ ſunt Emdena & Aurichum. quarũ Emdena, ad Amaſij fluminis oſtium ſita, totius regionis emporium eſt, frequentatione negotiatorum celebre cum primis & illuſtre. facit hoc portus cõmoditas, qui vſq. in ipſam vrbem tanta altitudine ſe inſinuat, vt in vrbis interiora naues variis mercibus onuſtas velis minimè deductis intromittat. Huius vrbis ornamẽta ſunt Principis regionis ædes ſumptuoſæ, templum magnificum, domus prætoria, & ciuim domus admodum elegantes. Aurichum ferè à nobilibus habitatur, ob ſiluas & nemora quæ huic ferè ab omni parte imminent, in quibus ſe venationibus & aucupio oblectant. Eſt in huius vrbis agro, teſte Kempio, locus Iyl dictus, muris vndique cinctus, arbuſtis conſitus, leporibus & hinnulis percõmodus: in quo quaſi in viridario ſiue leporario quodam fouent maximum horum animalium numerũ, quæ propoſita pœna capere nemo audet: ſed Comitibus operam venationi daturis in voluptatem pro tempore ſeruantur. In eodem huius Aurichi territorio eſt collis paulo eminentior, vulgò *Obſtalsboom* dictus, in quo tribunal totius gentis. vbi quondam ſub dio ſolebant bis in anno conuenire ex ſeptem Zelandijs, atq. ibidem omnes huius regni controuerſias per probatiſsimos & conſuetudinem iuriſq́. peritiſsimos dirimere. Arces præterea, villæ & prædia non pauca. Pagorum tantus eſt numerus, vt alter alterum interdum contingat. horum maxima pars cùm ædium platearumq́ue ſplendore, tum incolarum, tam indigenarum quàm peregrinorum frequentia adeò excellunt, vt cum multis Germaniæ vrbibus de dignitate certare poſſent.

Gens aut mercaturã exercet, aut mechanico aliquo artificio ætatem terit, vel agricultura quæſtum facit. cum vicinis abueniſq́ue Germanica vtuntur lingua, inter ſe autem peculiari & genuina, à peregrinis minimè intellecta. Veſtitus honeſtus; etiam ruſticorum: ita vt ex veſtitu eos pro oppidanis quis duceret. Femineus ſexus habitu multum ab aliis differente gaudet. Totam capitis comam in vnum cirrum componunt, eumq́ue multis argenteis deauratiſq́ue ſphærulis vel nodulis ornatum, in tergum dependere ſinunt. Caput ipſum in æſtate reticulo ex rubri coloris ſerico contexto, argentoq́ue deornato redimunt. hyeme autem capitium ex panno viridi induunt, quo totum caput adeò cooperiunt, vt oculos tantùm adſpiciendos præbeant: *Hatte* vocant hoc genus veſtimenti. Palla ſiue veſtis exterior, quæ à capite ad talos vſque plurimis minutiſq́ue plicis ſtriata eſt, argẽteis deauratiſq́ue laminis tam frequentibus vndecũque rigeſcit, vt exuta, etiam erecta conſiſtat. hæc conſtat ex rubro, interdum quoque ex viridis coloris pãno. Sunt in hac Orientali Friſia Comitatus alij duo, alter Eſens, alter Ieueren, à primariis eorũ opidis ſic vocati. De huius Friſię ſitu, natura & moribus lege Vbbonẽ Emmium.

4
ALBERS 004
Koctero317
S/VETT/BA
Landesbibliothek Oldenburg